



## **Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas**

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]  
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum  
tractatione.

Jn Omnes Totivs Anni Dominicas Æstivas, à Festo Pentecostes vsque ad  
Aduentum

**Besse, Pierre de**  
**Coloniae Agrippinae, 1620**

In Festo Pentecostes.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56306)



# IN FESTO PENTECOSTES.

## PARTITIO.

- I. De Deo ac Spiritus Sancti processione.
- II. Cur Sanctus Spiritus in igne appareat?
- III. Sanctus Spiritus necessarius quomodo impetrandus?
- IV. Ad quid Spiritus vehemens?
- V. De impletis Spiritu Apostolis.
- VI. Spiritus cur sonus ac ventus dicatur?

*Factus est repente de caelo sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes. Actor, 2.*

## FIGURA.

Paral. 7.



**S**UPERBO & magifico Salomonis templo perfecto, in quo exstruendo octoginta operariorum millia septem ipsis annis elaborarant, tradunt Sacri annales, ignem caelo descendisse, atque holocausta deuorasse, ac splendore, lumine, maiestateque diuina circumquaque repleuisse, ignis descendit de caelo & deuorauit holocausta, & maiestas Domini impleuit domum. Adeo ut populus obstupescens, variis Deum laudibus, praconiisque extulerit, Rexque Salomon altaria victimis repleuerit, viginti duobus bouum millibus, & centum viginti ouium millibus in dedicatione immolatis. Insignis hoc figura fuit eximij mysterij, quod hodierna die admirabili Spiritus Sancti descensu peragitur.

Sublime enim & splēdidum nostrae redemptionis opus, in quo vniuersa Trinitas & millena Angelorum millia, iam ab origine mundi occupata fuerant, in die Ascensionis vix peractum erat; quin ecce mox ignis quidam caelestis, diuinus ac sanctus penitus nouus, admirabilis, Spiritu plenus, & Spiritus ignitus, descenderit, detruerit, corda, animas & conclauē Apostolorum flammis, linguis, maiestate & gloria repleuerit. Hoc est, quod hodie in Ecclesia admiramur. Spiritus Sancti descensus, est magnificus tertiae in Trinitate personae in hunc mundum aduentus, est omnium Iesu Christi promissorum complementum, est summa operis redemptionis manus, est mysteriorum nostrorum finis, est post omnes aduersitates solatium, post pollutiones sanctitas, post ariditatem aqua, post frigus calor. O gloriose Spiritus, ut digne de his



de his omnibus loquamur, aduentum tuum annūciemus, diuinitatem defendamus, maiestatem exaltemus, effectus tuos depromamus, omniaque tua mirabilia decantemus, ignem tuum in animam immitte, pulmonibus ventum suggere, latera offirma, & linguam dirige. Tuque sanctissima virgo, hanc nobis precibus tuis gratiam impetra, ideoque cum vniuerso hoc auditorum numero Angelicam tibi salutationem offeram.

## A V E M A R I A.

I. Aristoteles Stagyrates, cui Philosophorū In Metaph. confero paucos, antepono neminem, de Dei maiestate ac magnitudine, rebusque supernaturalibus agens in Metaphysica scripsit, tantum hic splendorem ac dignitatem esse, adeoque incomprehensibilem, vt ad illas aspiciendas concipiendasque, humana mens & ingenium conuincant & succumbant, non secus ac vespertilionum & noctuarum oculi ad lumen solare: nam quoniam hæc aues visus sunt debilioris, ideo de nocte volitare, & lunam obseruare solent, nam de die solares radios ferre nequeunt. Quod ille olim apud Ethnicos Philosophos dixit, inter Christianos hoc Theologus repetiit Paulus, dum diceret, cœlestium ac præsertim diuinarum cognitionem, esse nobis incomprehensibilem, & imperuiam; *Lucem*, inquit, *habitat inaccessibilem*. Perinde ac si diceret, Diuinitas sol quidam adeo splendens & rutilans est, & humana mens ram imbecilla, vt si naturales eius vires attendamus, nec firmiter diuinitatem valeat contemplari, nec quod in intima illius essentia delitescit, cognoscere. Cuius rei hæc figura sit.

Exod. 25. Moyses olim Dei iussu Propitiatorium construxit, idque de ligno Setim, quod corruptionem nescit, in quo geminos Cherubinos, aduersus se muruo vultibus aspicientes collocauit; qui quo alas explicarent & extenderent amplius, quo etiam oraculum obumbrarent magis: *Duos quoque Cherubin aures, & productiles facies ex utraque parte oraculi.*

Diuinitas verum quoddam propitiatorium est, atque incorruptibile hoc lignum æ-

ternitatis indicium, duo vero Cherubin mentes tum humanas tum angelicas denotant, quæ quo cognitionis suæ alas ad sciendum quid Deus sit, extendere latius conatur, quo illius inuolutoria & obscuriora hæc myteria videntur.

Occasione horum Cherubin & hoc cogor dicere, quod in 1. Ezech. cap. scriptum legitur, quatuor illos Cherubinos maiores in prodigiosorum animalium figuram efformatos, rotis infertos, & duplici alarum remigio volantes, dum super firmamentum, & coram throno illius qui hominis similitudinem habebat, vocem audirent, perculsos substituisse, & alas contraxisse: *Nam cum vox fieret super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.* Cherubinatorum hic gestus denotare nobis volebat, tum, cum audiret ea quæ in cœlo aguntur, deque diuinitatis magnitudine agere, aut in SS. Trinitatis personas, quæ tres non nisi vnum Deum in throno gloriæ confidentem constituunt, inquirere præsumimus, sensus nostros esse contemendo, rationi imperandum, præsumptionem euendam, imaginationum alas submitteudas, ingenueque profitendum, omnia hæc intellectum & captum nostrum excedere, itaque hic nos non nisi bruta esse & iumenta. Ita enim locutus est Psalmographus: hic namque diuina indagare myteria, atque æternæ prouidentia nucleum enucleare cum molitur, libere coram Deo profiteretur, in horum mysteriorum indagatione adeo se brutum & obtusum esse, se vniuersum crederet. *Audite virum, Ad nihilum redactus sum, & nescius, vt iumentum factus sum apud te.* S. Hieronymus ex Hebræo loco illud, *ad nihilum redactus sum*, transtulit, *Et ego insipiens.* & sane in origine Hebraica non nisi vnicum verbum trisyllabum est, *Babbar* loco horum trium, *ad nihilum redactus sum*. Porro *Babbar* tantundem valet, ac si dicas, *bardus, vecors, mente & iudicio carēs*, ac brutum, quasi *Dauid*, coram Deo se ineptum, mente & scientia destitutum præ humilitate profites, dicere voluisset, in mysteriorum tuorum, & coram quæ sub essentia tuæ inuolueris delitescunt, contemplatione, ad nihilum scientiæ & cognitio-



gnitionis redactus sum, nihil omnino hominis in me relictum est, & ex homine, qui multarum rerum cognitione pollebat, bestia factus sum; idem nos de diuina electione, & hominum prædestinatione sentire par est.

Ideo veteres Ethnici pro consuetudine habebant in templorum luorum foribus ac vestibulis Sphingem, qui olim ænigmata dubiaque inuolucra soluenda dabat, statuere, ita vt & ostenderent, quidquid ad Deorum maiestatem spectat, hominibus mera esse debere ænigmata, id est, res ad intelligendū perdifficiles. Et non sine ratione profecto: sunt enim mera & verè obscura ænigmata in Ecclesia nostra credere, in cælo Deū quemdam esse, qui vniuersa condidit, Filium, qui omnes redemit, & Spiritum S. omnia qui sanctificauit, sed Spiritum gloriosum, verum Deū & Omnipotentem, qui a Patre, Filioque simul procedit. Verum hoc ænigma est quod humanæ mentis captum transcendit.

*Ami hæ-*  
*retis.*  
*Lib. 1. in*  
*Euan. iij.*  
*71.*  
Nunquam hoc ænigma dissoluere potuit Arius; aque veritate longius digressus, stolide sibi persuasit, Spiritum sanctum non nisi meram Filii creaturam esse, vt ait sanctus Basilus, atque hinc parum firmis, & quallatis innixus fundamentis efficere volebat, Filium minorem esse Patre. Eo quod Pater minorem quemdam Deum, id est, Filium produxisset, Filius verò nullum, nec paruum, nec magnum, sed nudam creaturam, id est, Spiritum sanctum, qui nulla ratione erat Deus.

*Macedo-*  
*ni hære-*  
*sis.*  
Eundem errorem imbibit Macedonius, ac docuit, Spiritum sanctum nullo pacto à Patre spiratū esse, vt qui omnem à Filio productionem, essentiam & Esse haberet, cuius peruerso dogmati secundum Cōcilium vniuersale se mox opposuit, omnem illius machinationem elidens.

*Græcorū*  
*& Arme-*  
*niorum*  
*error.*  
His accessere deinde haud ita multo post Nestoriani, docentes Spiritum sanctum à Patre duntaxat procedere, quod Concilium Ephesinum vt hæreticos condemnauit, & anathemate percussit; Quin & Græci, Armeni, Rutheni, Moscouitæ, aliiq; Schisma-

Tom. 2. Pars Æstiuæ.

Cap. 16 &  
17.  
tici, hodierna etiamnum die eundem errorem fouent, sibi que persuadent, Latinos in hoc articulo nimium quantum errare. At contrarium euidenter è sacris literis probatur: apud Ioannem enim capite decimo sexto ait Christus de se: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt; & capite sequenti, Omnia tua mea sunt.* E quibus verbis Catholicum hoc argumentum elicio: Quidquid habet Pater, habet & filius excepta relatione Paternitatis, vt hoc exponit S. Augustinus; Atqui Pater ex esse suo habet quod Spiritus sancti principium & origo sit, sequitur ergo in bona forma hoc ipsum habere & filium, omnia alioquin illis inter se communia non essent.

Deinde si omnia Patri cum Filio communia non sint, præter relationem oppositam, sequetur maius inter illos, discrimen esse, quam ipsum relationis, ac proinde essentia, substantia, & natura à se inuicem distingui; quæ ineptissima absurditas & blasphemia ab vniuerso Christianismo iam dudum proscripta est.

*Lib. 9.*  
Ceterum huius fidei articuli veritas non modo in sacris literis, sed in ipsa etiam ratione fundatur, Angelicus Doctor Thomas aduersus gentes scribens, egregiam & nullo pacto vincibilem expugnabilemq; rationem proponit; si Spiritus sanctus à Filio non procederet, eadem cum ipso persona esset, quod fidei aduersatur; nulla enim tunc esset Trinitas. Nam vt ait, omnis in Deo distinctio à relationibus originalibus nascitur. At si Spiritus sanctus à Filio non procederet, nulla inter eos relatio originalis esset, ac proinde cum nulla sit processio, nulla quoque inueniretur distinctio. Quin & hoc alia ratione confirmat; In Deo non nisi essentia est & relatio, vel, nihil nisi absolutum & relatiuum; atqui essentia & quidquid absolutum est, in personis diuinis commune est: sola igitur relatio discrimen constituit, & differentiam causatur. Adeo vt nisi quidquid absolutum est, etiam commune esset, Dei simplicitatem asserere non possimus, & tres personas non nisi vnum quid esse; neue etiam ostendere, nullam in aliqua personarum

perfe-



perfectiorem esse, quæ non & aliis etiam cõmunis sit.

**Pater & Filius nõnisi vnum principiu sunt eiusdem Spiritus.** Adeo vt hinc inferendum sit, quamuis Pater & Filius duo spirantes sint, nonnisi vnica tamen spiratione spirare, ac duos simul nonnisi vnicum principium Spiritus S. constituerent; nam veluti Pater & Filius, imo & Spiritus sanctus nonnisi vnicum principium vniuersi sunt, & nonnisi vna eademque actione creant (quod vnica & eadem eorum sit essentia) ita quoque Pater & Filius nonnisi vnum Spiritus sancti principium sunt, & nonnisi vno eodemque spirant spiramine, eo quod vnã & eandem virtutem spiratiuam habeant; & quamuis Pater principium creationis sit satis per se sufficiens; ceteræ tamen personæ diuinæ etiam creant, quod eiusdem sint potentia & essentia; ita Filius spirat & producit Spiritum sanctum, simul & pater, non quod Pater illo opus habeat, vel sufficiens ad hoc non sit, sed quod eandem virtutem spiratiuam habeant.

Ad rei huius virtutem stabilendam, quam tamen in controuersiam vocare visum nonnullis, quinque œcumenica concilia in Græcia & totidem apud Latinos celebrata sunt, in quibus hoc velut articulus fidei, decretum & contrarium velut hæreticum & adulterinum condemnatum. Sed vt euident tandem fiat, gloriosum & omnipotentem Spiritum tam a Filio quam a Patre procedere, cū tam Spiritus Filii appelletur, vt Roman. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius,* quam Spiritus Patris, Matth. 10. *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis;* vtque illius magnitudo, diuinitas ac maiestas mundo pateat; hodie à Christo ad Apostolos mittitur & turbinis & flammæ ritu a cælo descendit. Ita enim hodierna Epistolæ lectio docet: *factus est repente de cælo sonitus, tanquam aduentus spiritus vehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes. Duo hinc nobis pertractanda sunt, ab igne ducemus exordium, & in turbinem desinemus, ad ostendendum si Spiritus sanctus ignis quidam diuinus & admirabilis est, terribilem quoque & vehementem ventum esse, de vtroque dicentem æquis auribus attendite.*

Spiritus S.  
à Patre &  
filio simul  
procedit.  
Rom. 8.  
Matth. 10.

Primo igitur, Dionysius Areopagita de diuinitate agens, asserit nihil in hoc orbe reperiri, quod summi & omnipotentis Dei naturam, proprietates & effecta melius exprimat, quam ignis. Is enim inter cetera elementa altissimus, leuissimus & omnibus in effectis admirabilis, nihil vt ei simile reperitur. Atque hinc fortasse factum, vt omnes SS. Trinitatis personæ hominibus se ostendere dum vellent, semper in ignea figura apparuerint. In Exodo Deus Pater in montem Sinai dum descenderet, in magno igne descendit, adeo vt torus circumquaque mons ardere & in fumum abire videretur. *Totus autem mons Sinai fumabat; eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne.*

Deinde & Filius in die transfigurationis in monte Thabor cum diuinam maiestatem perfecturus appareret, cõtus apparuit igneus & luminerutilanti coopertus; quod e Græci textus verbis potissimum colligitur: in quo loco verborum, *Et resplenduit facies eius sicut sol,* legitur & *ελαμψετο οὐρανὸς ὡς ἡ λυχνία.* Quo loco verbum *λαμπεῖν* non modo lumen & splendorem emittere significat, sed etiam ardere: hinc enim descendit verbum lampas, quæ simul & lucet & ardet. Quin & in extremi iudicii die, idem Dei Filius mundum diiudicaturus in igne apparuit. Scriptum est enim: *Ignis ante ipsum praecedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Hodie vero gloriosus S. Paracletus in monte Sion super Apostolos in forma ignis & flammaram descendit.

Imperatores Romani, suam vt maiestatem non vulgarem & communem, sed extraordinariam declararent; ignem sacrum sibi præferri volebant. Vnde Alexander ab Alexandro, *Demum eo vesania processum fuit ut secuti Casares, sacrum ignem, qui tantum nihil aliud Regibus Persarum mos erat, velut imaginem imperii sibi præferri sinerent, eoque præcipuo insigni & singulari ornatu virentur.* Quin & Senatus Romanus decreuit, Iuliani Imper. vxori & filia, quas ambas ad Augustæ dignitatem elegerat, quoriscumque in publicum prodirent, ignem præferri. *Sic Iuliani,*

III.  
Lib. de di-  
uin. nomi-  
nib.

Exod. 19.

Matth. 17.

Personæ  
diuinæ in  
igne ap-  
paruerunt.

Psalm. 96.

Lib. 1. Ge-  
n. 1. 12.

ni, 12.



ri, inquit, *Uxor & filia, Augusta appellata sunt, quibus hoc etiam honoris tributum est, ut illis quandoq; sacer ignis praeiret.* Idem quoq; Regibus Persarum in more erat, atque ab illis Romani hanc vanitatem atq; ornamentum mutuati sunt.

Mera hoc in Ethnicis superstitio & vanitas fuit; sed ad religionem & veram Dei summi Regis gloriam spectat, illius, ut ita maiestas & magnitudo appareat, ignem illi semper praeferre, ac quotiescumque in terra apparere voluerit, hunc illi semper praecursores dare. Et sane quoties Scriptura Deum alicubi praesentem fingit aut describit, ignem illi semper dat comitem. In Exodo de Mose dicitur: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis.* In Psalmis: *Ignis a facie eius exarsit.* Et alio loco: *Ignis in conspectu eius exardescet.* Apud Danielem quoque: *Thronus eius flamma ignis.* Atque aliis sexcentis locis. Idcirco Spiritus sanctus hodie in terram descendere cum vellet, in ignis forma descendit.

Exod. 3.  
Psal. 17.  
Psal. 49.  
Dan. 7.

Ignis verus  
Spiritus S.  
Symbolu.

Heracliti  
& Parmenidis  
opinio de igne.

Alexand.  
ab Alex.  
lib. 3. Geom.  
metr. 9.

Et sane seligere nullum aptius diuinitatis symbolum poterat, nec vllum maiestatis insignius argumentum, quam hoc ignium & flammarum. Nam ut ignis sublimi velut in centro habitans, & sub Luna caelo delitescens, oculis nostris videri nequit; sed in terram descendens, & in focus nostris accensus, ab omnibus videtur; ita quoque Spiritus sanctus, quamdiu in summo caelo loco suo naturali in throno illo gloriae mansit, in diuinitatis mirabilibus delitescens, a nemine mortalium videri poterat; sed hodie descendens, inque terra nostra exardescens, omnibus se manifestat, ac praesertim Apostolis, *Et apparuerunt illis dispersa lingua tanquam ignis.*

Ignis natura totius nutritor & elementorum Princeps nihil omnino in sphaera sua producit aut gignit, sed extra illam omnia progignit; ita ut fuerint Philosophi, ut Heraclitus Ephesus, Parmenides, Stoici alique plurimi, qui dixere ignem in omnia quae in hoc inferiori mundo sunt agentem, omnium rerum principium esse: Ita quoque Spiritus sanctus in diuinitatis sphaera constitutus nihil omnino producit. Pater gignit & spirat,

Filius spirat, sed non gignit, Spiritus sanctus autem nec gignit, nec spirat, nihilque ad intra producit; sed ad extra producit omnia: tam enim creator totius vniuersi est quam Pater, & Ecclesia hunc ei titulum & nomen assignat, *Veni creator Spiritus.* Quam in co virtutem demiratus Dauid, exclamat: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terra.*

Quin etiam praeter opus creationis in terram descendens, varia producit: ipse siquidem gratiarum oconomus est, virtutum distributor, consolationum auctor, fons aquarum viuicium, deuotionis fomes, magnus scientiarum magister atque omnium diuinarum diuitiarum thesaurus.

Ignis ille elementaris in caelorum concacuitate a mundi opifice constitutus, cum oculorum nostrorum effugiat obrutum, nec actiuitatem eius vel altissimi montes niue perpetua albicantes experiantur: hinc est, quod nec lucere nobis videatur, nec calefacere. Si enim lucidus, cur non in sensum oculorum incurrat? Si vero calidus, an non a quinque annorum millibus ex quo creatus est, caelum & mundum vniuersum combussisset? Idem etiam de igne illo caelesti, qui Sanctus Spiritus, & credendum & dicendum est; quandiu in caelo apud SS. Trinitatis personas commoratus est, & lumine & calore destitutus videbatur, nemo enim ipsum poterat cognoscere, imo nec virtutem aut potentiam illius sentire; sed hodie in terram descendens, mundo suum & calorem & lumen ostendit, illum quidem, peccatum auferendo gratiasque elargiendo; hoc vero veritatem aperiendo, ac mendacium detegendo, *Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnia.*

Antequam ad nos ille descenderet, omnia hic in terra frigore rigeabant, in mera hic caligine omnes degebant, nullus erga Deum amor, nulla in proximum charitas, & calor omnino nullus; at ille postquam venit, *Hyems transit, imber abiit, apparuerunt st res in Cant. 2. terra nostra; cavit formosa illa in Canticis sponsa; non est qui se abscondat a calore eius, Psal. 18. cavit Psalmographus; Hodie magnum aestiuale solstitium Ecclesiae fuit, hodie*



dies caniculares Christianorum, in quibus solis diuini & ignis cœlestis ardores tam vehementes fuere, & eminentes in fidelium animabus, vt plurimi deinde præ calore emorientes, leui induti veste domibus & palatiis egressi, cum æstu fauiente per plateas perque vrbes incedere non valerent, deserta adierint, siluatum umbracula petierint, & in antris & cauernis delituerint. Alij quales Apostoli, omni se profus facultate denudarunt, ac nudi Christum secuti sunt, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, bonis se omnibus ac vestibus quin & pelle & corio, vt sanctus Bartholomæus, vita deniq; & omnibus priuari passi sunt. O calores intolerabiles! ô æstum & flammam nimio opere æstuantem!*

Simile.

Nec mirum hoc aut nouum cuiquam videatur, si enim ignis elementaris naturalem suum locum relinqueret; atque in terram descenderet, an non omnia hic in terra consumerentur, herba areficerent, fontes exsiccarentur, aer æstuarer, mare ferueret, Petræ præ ardore diffunderentur, omniaque in flammam & cinerem abirent? Cum igitur omnis hic ingens cœlorum (*Deus ignis consumens est*) hodie in terram descendat, nemo mirari debet, si calores vehementes sint, si deuotiones feruentes, si animæ æstuent? Audite quinam ignes, quinam ardores, *Quos separabit à charitatē? Deus, tribulat o, an angustia, an fames, an nuditas?* An non igitur par est, hodie vanitatum illas herbas exarescere, fontes voluptatum siccari, ætrem virtutum æstuarer, mundi mare præ pietate effruescere, perueciacæ rupes colliquefere, omnesque ambitiones nostras in fumum abire; quod nondum talis ardor appareat, tu gloriose potens & admirabilis spiritus, *Tange montes, & frum. igitur*, tange, inquam, hodie succende, combure rupes avaritiæ, culmina illa superbiæ, montes ambitionis, atque omnia hæc in fumum abibunt.

III. Quam vero, Auditores, ignis hic mundo Peccatum erat necessarius! peccatum siquidem vniuersalem rigorem per omnia induxerat, omnia glacie & frigore rigeabant; mera vbi que sterilitas, omnesque mundi agri aridi &

exsuccerant. Prudens & prouidus agricola vbi agrum lentibus & vitiis repletum nullum terre fructum videt, sed penitus sterilefcere, ignem iniicere consuevit; quemadmodum etiam colono suo suadet in Georgicis Maro.

*Sape etiam steriles incendere profuit agros. Ita quoque Christus Dominus, magnus agricola, & magni agricolæ filius (Pater meus agricola est) videns magnum mundi huius agrum sterilem, inferacem, spinis & lolio, id est, peccato, & flagitio plenum; hodie ignem Spiritus sancti in eundem iniicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volonisi vt ardeat? Quod S. Gregorius in Homiliis suis in Ezechielem de Spiritu sancto exponit, dicens: Qui nomine Spiritus sancti significari solet, de quo in Euangelio Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram, qui omnes inuiles & infelices idololatriæ & peccati radices excaudicans, breui tot Religionum flores, tot pietatis semina, tot Euangelij fructus producat & eliciet. Huc alludens magnus Origenes, dum in Leuiticum commentatur, ait: vtinam & mea terra accendatur igne diuino, vt ultra non offerat spinas & tribulos. Eandem hodie, Auditores, orationem depromamus, Deum nostrum ardentem deprecemur, vt diuinus Spiritus S. sui ignis, ita corda & pectora nostra succendat, nullos vt in posterum carduos, nullas spinas, id est, passiones, rancorem, inimicitias, itam vitiis & figuris illius occasione producamus.*

Formosa illa Canticorum sponsa, sponsi sui perfectiones deprædicans, & impunitis capitis illius, cum non putasset sufficere, auri instar illud dixisse, addit: *Caput tuum sicut Carmelus.* Dicit litera, esse caput bene compositum, egregia coopertum cælaris, vt mons Carmelus præceris conuictus arboribus, nec illud caluum esse, quod maxime in homine difforme est; vnde versiculus:

*Turpe pecus masculinum, turpe sine gramine caput.*

Et sine fronde frutex, & sine crine caput. Ast allegoricum sensum consecretando, dum caput sponsi Carmelo confert, magna nobis in me-



in memoriam reuocat beneficia, quæ Deus olim in illo monte ad preces Prophetæ Eliæ hominibus contulerat: graui iam dudum terra sterilitate laborabat, & trium annorum spatio & amplius, nullum in terram rorem cælum effuderat; quapropter Elias montem Carmeli conscendit, precibus incumbit, ac genibus in terram prostratis Deum obsecrat, terræ suæ aridæ & hominum præ fame morientium vt misereatur. Votorum tandem fit compos, & magna in terram aquarum depluit copia. Vnde efflorescere agri, & refici homines cœperunt. Deinde de cognitione & honore veri Dei Israël aduersus Regem Achab, & quadringentos quinquaginta Pseudopphetas Baal ageretur; Prophetæ iterum eundem montem conscendit, solenne instituit sacrificium, idque in duodecim lapidibus, Deum deprecatur: & ecce derepente ignis cælo delapsus, omnia ad vsque lapides comburit, de Dei honore hic agi ostendit, atque idololatrias confundit. Idem hodierna die in Iesu Christo videas, quod mystica illa sponsa præfigurauit; cum enim magna per terram grassaretur sterilitas, ipse ad Eliæ imitationem non Carmelû montem, sed supra omnes montes cœlestes conscendit, pluuiam salutarem, Spiritum sanctum inquam, nobis impetrauit; qui etiam vt mundo verum se Deum esse declararet, & idololatrias erroris conuinceret, postquam magnum illud crucis sacrificium in duodecim Apostolis, duodecim, inquam, Ecclesie lapidibus fundamentalibus consummasset, Spiritus sancti ignem hodie cælo demittit, qui omnia ad Apostolos vsque consumens amplissimum de Iesu Christi diuinitate testimonium dedit (*ipse testimonium perhibebit de me*) Regesque omnes ac Principes & idolorum cultores confusione repleuit.

Huic non admodum absimilis est visio, quam olim in Apocalypsi sua vidit Ioannes: vidit enim Angelum ante Dei altare thuribulum aureum manu tenentem, cui thure imposito altare thurificauit, quod erat ante Dei thronum: è quo odor suauissimus, qui ad vsque Dei thronum pertingebat, egressus est; & complacitum est Deo tam in

thure sibi oblato, quam in vniuerso sacrificio. Ideoque datum est illi, vt ad thronum vsque pertingeret, vbi dum esset, thuribulum de carbonibus altaris, quod in conspectu erat, repleuit, quos deinde in terram effudit. Omnia autem hæc Angelus peregit; cumque carbones ardentes in terram deciderent, fulmina, tonitrua, voces & vehemens terræ motus audiri circumquaq; cœpit: *Et accepit Angelus thuribulum aureum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terra motus magnus, &c.* Angelus hic non est alius, quam is, de quo Isaias iam locutus est, *magni consilij Angelus*; paucis, ipse Christus Iesus est, qui cum Deo Patri sanctum crucis sacrificium obtulisset, quod tantopere illi complacuit, vt furorẽ & indignationem exuerit; in die Ascensionis cælos conscendit, & vtramque manum sacro Spiritus sancti igne qui animas succendit, cum repleisset, eundem in terras hodie, sed vento, turbine, sonitu, & tonitru in morem comitarum destinat; *Factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis.*

Salomon postquam magnificam templi sui fabricam consummasset, solenne Deo plurimarum victimarum sacrificium obtulit, & genibus in terram prouolutus, magno illum affectu deprecatus est, propitius hoc vt sacrificium respicere dignaretur: & ecce, vt hoc gratum esse testaretur, ignis quidam derepente cælo delapsus, templum vndique repleuit, omnesque parietum lapides terigit; adeo vt lumine quodam cœlesti; quod Scriptura gloriam Domini appellauit prætexi respenderit. Quod profecto egregia quædam figura exstitit illius, quod hodie in Pentecoste fieri cernimus. Suis Christus manibus Ecclesiam construxerat, idque ex Apostolis qui viui erant lapides, tunc vero ædificium hoc perfectum fuit; cum dixit: *Consummatum est.* Deinde solenne Deo Patri sacrificium crucis obtulit, eumque *cum clamore valido & lacrymis*, vt ait Apostolus, deprecatus est: vt vero hæc omnia placere sibi ostenderet, ignem Spiritus sancti demittit,



qui gloria & maiestate vniuersum orbem compleuit, de quo scriptum est, *Spiritus Domini impleuit orbem terrarum*, ac tetigit simul lapides illos fundamentales, vt illos firmaret & inconcussos redderet. Audite quid Propheta de eo testentur, *Ego confirmans columnas eius.*

*Psal. 74.*

*Exod. 19.*

Cum quinquaginta dies ab euerso Pharaone itinere per mare rubrum, Hebraeorum libertate, & exitu de Aegypto, elapsi essent, Deus caelo in montem Sinai populo legem promulgaturus descendit, & ecce emicare fulgura, audiri tonitrua & tempestates ac turbines, ignisque elucescere coepit ac fumare. *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne*, quod genuina imago fuit hodiernae missionis Spiritus sancti. Hodie siquidem, Pentecoste, id est, quinquagesimus a destructo Satana, rubro passionis mari emerso, peccati ruina, hominis liberatione, solennitate Paschali, & exitu ex Aegypto captiuitatis nostrae dies peragitur, hodie Spiritus sanctus verus & omnipotens Deus, descendit, non iam montem Sinai, sed Sionis, legem mundo promulgaturus, Apostolos edociturus, & Euangelium diuulgari mandaturus. Descendit autem in turbine, sono, voce, igne & flammis, *& apparuerunt illis dispersa lingua tanquam ignis.*

IV.

Descendit, inquam, in forma ignis, sed ignis violenti, nam ignis naturae ductum sequendo, semper ascendit & sublimia, velut ad centrum suum properans, petit, sed cum descendit e contra, non sine violentia & impetu id fieri solet. At Spiritus sanctus, ignis ille diuinus & aeternus, hodie praeter naturae ordinem in terram descendere cum vult, ille inquam, ignis, qui in sublimi semper commorari & superna incolere solet, non sine violentia & vehementia delapsus est; atque ideo factum est repente de caelo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis. Sanctus Epiphanius moralem sensum consecratus, aliam rationem reddit, quae penitus admirabilis est, idcirco Spiritum sanctum in forma vehementis ignis descendere asserens, nobis vt indicaret in nulla se re quie-

Cur Spiritus S. in forma ignis vehementis descendit.

scere & commorari anima velle, quam quae violentos passionis impetus retundit, concupiscentiarum aestus suffocat, & magna constantia insurgentes prauorum affectuum motus comprimit & elidit: violentis enim regnum caelorum promissum est; *Regnum caelorum cum patitur, & violenti rapiunt illud.* Bene quidem hoc, & non vsque adeo inepte, rectius tamen mea sententia fuerit, ideo in forma ignis ac flamma Paraclerum descendere, vt hac ratione mundi sordes expurgeret & exureret.

Cum locus aliquis diuturno contagio aut lue epidemica fuit infectus, & iam purgandus est, nullum salutarium remedium, aut ratio purgationi expiationique conuenientior, quam ignem succendere, & ingenti rogo exstructo ad omnes domus angulos ardorem transmittere, vnde Medicorum dux Hippocrates, Graeciam cum lue hac inficeretur, & varios passim quotidie interceratis famori, ceteris quae adhiberi solent remediis neglectis, Athenis & per vniuersam Graeciam magnos & luculentos extrui ignes precepit; qui quotidie noctu & interdiu ardentes, aërem purgarunt, contagium pepulerunt, & patriam a morbo, incolas ab interitu praeseruarunt. Peccatum vera animarum pestis & contagio, plusquam quatuor annorum millibus iam per vniuersos mundi angulos inualuerat, adeo vt nulla effugij salutisque appareret ianua: omnes morti & damnationi sine vlla exceptione addicebantur: At Christus Iesus magnus ille caelorum medicus, caelo cum descendisset, ad morbum, luemque dignoscendam, & eodem ascendisset, sacrum hodie Spiritus sanctus ignem emittit, omnia qui expiabit, infectionem tollit, & certam animarum salutem adferet, ait enim de se, *Ignem veni mittere in terram.*

Cum locus aut quid aliud profanatum fuit, & iam purgandum & pristinum in statum restituendum est, per flammam transire solet, igneque expiari. Atque ideo Hebraeorum Ducibus, Madianitis profligatis, iam olim imperauit Deus, omnem vt praedam & manubias de inimicis relatas velut profana & contaminata, & ab idololatriis profane-

*Nam. 31.*



Arequã  
S. S. de  
lucideret  
mundus  
et pol-  
lutus.

profesta igne purgarent. Audite decretum;  
*Aurum & argentum, & as & ferrum; & plum-  
bum & stannum, & omne quod potest transire  
per flammam, igne purgabitur.* Mundus hic, &  
quidquid in mûdo erat, mille impietatis, ab-  
ominationsque generibus, criminibus, ido-  
latria contaminatum & profanatum erat;  
ad quem purgandum & in luculentum sta-  
tum restituendum ignis necessarius erat. I-  
deo Iesus Christus in cœlos cum ascendisset  
Spiritum sanctum in flammæ figura emit-  
tit, pollutum mundum ut purgaret, omnia-  
que mundaret. At quoniam iam de purifica-  
tione loqui cœpimus, meminisse hic oportet,  
Auditores tria olim apud veteres purifica-  
tionum genera fuisse, per vctum, inquam,  
aquam, & ignem, quæ Poeta hæc versibus  
complexus est:

*— alia panduntur inanes,*

*Suspensa ad ventos, alius sub gurgite vasto  
Elutur scelus, aut sacro exurit igni.*

In mundi huius polluti & penitus conta-  
minati purificatione, Spiritus sanctus eif-  
dem rebus vsus est, venit enim primo in a-  
qua, vnde dictum, *Pluuiam voluntariam se-  
gregabit Deus;* canit adhæc Ecclesia:

*Qui Paraclitus dicor;*

*Donum Dei altissimi,*

*fons viuus, &c.*

Deinde in venti forma, *Factus est repente de  
cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehe-  
mentis:* Denique in forma ignis, quali hodie  
Apostolis apparuit, *Et apparuerunt illis dis-  
persa lingua tanquam ignis.*

O ignem penitus nouum, sacrum sanctum  
ignem admirabilem! non qualem experta est  
olim Gomorra, ac vicinæ ciuitates, non  
quali Pseudofacrificuli Baalim deflagrarunt:  
non qualem olim Hebræi in monte Sinai vi-  
dere exastuantem, percussa deniq; ignem  
dissimilem penitus ab illo quo mundus de-  
flagrabit! Illi fuere ignes rigoris & iustitiæ,  
tu vero ignis amoris & mirabilium; ignis  
qui Cherubinos inflammas, qui Seraphinos  
succendis, quo Throni astuant, ignis qui  
pietatem excitas, affectus cogis inardescere,  
intentiones dirigit, & pectora exuris. O Æt-  
nam inextinguibilem, ô fornacem semper  
astuantem.

Cum ignem hunc mente voluo, & illius Archime-  
auctorem contemplor, magni Mathemati- dis strata-  
ci Archimedis stratagemata, machinatio- gema.  
nesq; animo obuersantur: hic enim patriam  
Syracusas à Romanorum obsidio liberatu-  
rus, & hostes destructurus; ignem quemdam  
occultum inuenit, quo hostilem classem et-  
iam procul ab vrbe positam, medio in mari  
succendit. Idem omnino Christus Dom. hic  
fecisse comperitur, mundum enim ab exitio  
liberaturus, & Diabolo hostes euerturus re-  
perit, emisit inquam, non iam ignem Græ-  
cum & artificialem, sed penitus diuinum,  
quo in mundi huius mari omnes paganorum  
& idololatrarum cymbas, nauigia, myopa-  
rones, & actuaras prætoriasque concrema-  
uit: adeo ut hæc sententiam illam Psalmogra-  
phi transferre liceat. *Ignis ante ipsum præcedet,  
& inflammabit in circuitu inimicos suos.*

Egregium quid in hanc rem in libro iu-  
dicum legere est. Samson, mundi olim ter-  
ror & naturæ miraculum, de Philistinis iura-  
tis suis hostibus vindictam sumpturus, &  
iniurias sibi aliquando illatas vlturus, tre-  
centas vulpes sibi inuicem alligauit, & cau-  
das flamma armavit; quæ deinde in hosti-  
lem agrum immisæ huc & illuc discurren-  
tes, fegetem Philistinorum incenderunt. Ad  
ducis exemplum IESVS CHRISTVS ani-  
marum nostrarum assertor, de Dæmone de-  
que peccatis, inimicis suis iuratis inuicem ut  
vindictam sumeret, cum in mundi huius sil-  
ua venationem instituisset, ac duodecim in-  
opes Apostolos velut duodecim vulpes se-  
legisset ( ipsi enim non minus quam olim  
Propheta in sacris literis, hoc nomine no-  
minari possunt, *Quasi vulpos in deserto Pro-  
pheta tui Israel* ) eosque sibi inuicem colli-  
gasset, atque ignem Spiritus sancti linguis  
eorum interuisset, ipsi à se inuicem deinde  
disiuncti, huc illuc discurrerunt, perque  
tyrannorum persecutiones, idololatriam,  
hæreses, omnia peccatorum genera ( quæ  
mundi fegetes & messes ) diuagati, omnia  
concremarunt.

Hæcene vulpes discurrentes videre vul-  
tis, & incendiatorum horum cursum confi-  
derare;

lib. 6.  
Ecc. 1.

Iud. 13. 15.

Gen. 19.  
3 Reg. 18  
Ecc. 19.

Ezech. 19.



derare; S. Ioannes ignem in Asiam minorem inuexit, Philippus in maiorem, Andreas in Scythas, Thomas in Indos, Bartholomæus Armeniam succendit, Iudas Arabiam, Simō Perfidem, Iacobus Hierosolymis ignem conseruauit, Petrus uero Romam usque flammam detulit. Ecce ignis ubique, ubique terrarum Euangelium per omnes terræ angulos Spiritus S. cognitus, *In omnem terram exiit sonus eorum.* Ad incendium conclamatum est in Oriente, æstuantem uidimus occidentem: fumarunt omnia sub polo arctico, deflagarunt quoque sub antarctico. Spiritus sanctus per quatuor orbis cardines imperium extendit suum. O ignem, ô mirabilia!

V. Spiritus sanctus, Auditores, hoc etiam Apostoli schemate descendit, ut Apostolos intrinse- ante Spiritus Sancti que nouas suggereret. Antequam enim Spiritus sanctus descenderet, fœminini, uerocarbo- nides, pusillanimes & carbones extincti erant. S. Petrus an non carbonis instar nigricauit, magistrum cum negauit, totque in eum blasphemiarum plaustra exonerauit. S. Thomas an non uerus carbo fuit, cum post resurrectionem se declarauit incredulum: Ceteri etiam Apostoli an non tempore passionis mortui carbones & igne & splendore destituti fuere, cum relicto Domino fugerunt. At ubi Spiritus S. ignis ille cœlestis & diuinus descendit, carbones reuixere, inque prunas uiuas conuersi sunt. Ita enim prædixerat Psalmographus, *Ignis à facie eius exarsit, carbonis succensit sunt ab eo.* Hic ignis illis robur addidit, hic animos suggestit, adeo ut è muscis facti sint Elephantas, è Pigmæis Gigantes, ex Ouibus Leones, è Theristis Cæsares & Hectores.

Simile.

Figulus varia cum effinxit uasa, & singulis suam in rota formam dedit, atque eadem deinde fragilia uidet, & ad primum casum & impetum flexibilia, ut eadem induret, ignem adhibere solet, inque fornacem conuicere. Iesus Christus magnus ille mundi figulus (ita enim illum ut Deum appellauit Iob, *Manus tua fecerunt me, & plaumauerunt me totum in circuitu*) cum Apostolos suos efformasset,

uelut duodecim quædam uasa honoris, illis- que prædicatione sua & doctrinâ formam ante Spiritus Sancti aduen- uersitatem in terram delapsi frangerent, tum casui & perirent; quo eos reuera induraret, extra omne periculum constitueret, in gratia confirmaret, & penitus inuictos redderet, igne illos probare decreuit, quamobrem hodie Spiritum sanctum demittens in fornacem copiiicit; adeo ut nihil illis in posterum solidius, nihil firmitus, nihil maioris animi inueniendum sit. Qui prius fœminarum instar trepidabant, iam Neronum & Cæsarem minas eludent, crucifixumque in medio illorum Capitolio collocabunt.

Quamdiu tormenta & balistæ bellicæ puluere repleta non fuerint, nec ignis iniectus quamuis Balistarius eadem obuenterit, & ad exonerandum paratit, nemo sibi timet, pueri & fœminæ eadem tangere non uerentur, omnesque libere accedunt; at mox ut ignem conceperint; tam horrendo boatu, tantaque uehementia perstrepunt, omnes ut sibi metuant, magni non minus quam parui trepidant, omnesque percussantur.

Apostoli ingentes quædam balistæ fuere, quas omnipotens Dom. destinauit ad mundum uniuersum euertendum & debellandum, & quamuis iam gratia & benedictione repleti essent, & à summo magistro ad conflictum parati; quia tamen Spiritus sanctus nondum descenderat, quia ignis nondum immisus, omnes eos prohibito contrectabant, nemo illos metuebat, serui & milites illis colludebant, ancillæ quoque eorum confortium non declinabant. At hodie ut ignis ille diuinus illis applicatus est, tanta tonitrua causabuntur, ita desæuient, tantum imperum efficient, uniuersum mundum ut percussuri sint, & Cæsaribus, Neronibus, Tibertiis & Alexandris metum incussuri.

Gedeon Dux cum trecentis hominibus electis lampades ardentes in manus tradidisset, & buccinis clangere imperasset, Madianitas superauit & egregiam uictoriam retulit, *Et dedit tubas in manibus eorum, lagenasq; uis-*



reus, ac lamhades in medio lagenarum. Egre-  
gium profecto stratagema, Christus porro  
magnus ille Regum Dux, & Ducum Rex,  
idem hodie in rotis vniversi debellacione  
seruasse comperitur: cum enim duodecim  
duntaxat Apostolos armasset, fragiles om-  
nes & caducos, sed ignem Spiritus sancti in  
animabus occultantes (ita enim loqui Pau-  
lus videtur: *Portatus thesaurum in vasis ficti-*  
*libus*) cumque illos vt buccinatores & præ-  
cones Euangelii destinasset, vasa illa cum  
inter tormenta colliderentur & in martyrio  
occumberent, & tubæ iam concrepare inci-  
perent, ita mundus perterritus fuit, ita dia-  
bolus perculsus, & peccatum ita profliga-  
tum, omnia vt deuicta sint, idololatria pel-  
fundata, tartarus subiugatus, Euangelium  
stabilitum, & Christus victoriam consecu-  
tus: *Vicit leo de tribu Iuda.*

Priusquam magnus accendatur ignis, fe-  
stucis primum, stramine, & sulphuratis vti  
solemus, quibus succensis maiora denique  
ligna & stipites crassiores igni admouemus.  
Euangelii ignem in mundo accendi neces-  
se erat, ignem inquam amoris diuini, idcirco  
primum in Apostolorum animis ignis exci-  
tatus qui non nisi festucæ, quisquiliæ, pur-  
gamenta terræ, & velut sulphurata vsui e-  
rant; ac deinde magni mundi titiones admo-  
ti sunt, Philosophi, Reges, Principes, Impe-  
ratores, & quicumque in hac terra magni,  
quos igne Paracleti Spiritus flagrantes, &  
honoris diuini zelo astuantes non minus  
quam alios videmus, adeo vt sacer ille Spi-  
ritus S. ignis in Apostolorum anima mirabilia  
opera produxerit.

Dum scriptura generosa Samsonis faci-  
nora & heroica facta recenset, quæ singula  
prodigia quædam erant & miracula, qua-  
lia fuere mille Philistinorum profligatio,  
funium vt filamentorum disruptio, leo-  
nis euersio, aliaque plurima quæ gessit;  
ad singula subiungit, *Irruit Spiritus Domini*  
*in Samson*; Spiritui sancto omnia hæc a-  
scribens.

Ad eundem etiam modum, cum duode-  
cim hos gloriosos Apostolos, velut nouos  
quosdam Samsones omnibus mundi natio-  
nibus docte Euangelium annuntiare, om-

Tom. 2. Pars Æstiuæ.

nigena loqui lingua, Philosophos ad fidem  
conuertere, Regibus terrorem incutere,  
monarchas percellere, Diabolos fugare, i-  
dololatriæ ora obturare, mortuos ad vitam  
reuocare, aliaque prodigiosa opera parra-  
re hodierna die video, & imposterum vide-  
bo; aperte & libere dixero, *Irruit Spiritus*  
*Domini in Apostolos*, tantorumque mira-  
culorum causam igni Spiritus sancti, qui  
hanc hodie illis potestatem communicat,  
ascribam.

Vidit olim Ezechiel rotas quasdam ad-  
mirabiles quæ agitata à Spiritu vitæ fere-  
bantur, *Spiritus enim vitæ erant in rotis*: cir-  
cum circa vero ignis flammæ & fulgura ap-  
parebant, *quasi carbonum ignis ardentium*, *Et Ezech. i.*  
*quasi aspectus lampadum*. Mysterium hoc ex-  
ponere dum propono, dico rotis hæc Apo-  
stolos designari, qui per vniversum terrarum  
orbem Spiritu sancto, qui vere Spiritus vitæ  
& sacer hic ignis, qui hodie cælo descendit,  
atque animas illorum circumdedit, ductore  
circumrotantur; cæterum Spiritus sanctus  
ram dextre illos direxit, nunquam vt am-  
plius in posterum errarint, & ignis hic tan-  
topere succendit, suum vt deinde calorem  
non amiserint.

Refert Plinius naturæ secreto Lapidis  
rum persecutor, lapidem quemdam no- cuiusdam  
mine *de Sese* reperiri, qui cum semel in i- proprietas  
gnem coniectus fuerit, ita succenditur,  
amplius vt extingui nequeat, expressit hoc  
Poeta:

*Qui semel accensus susceptos detinet ignes,*  
*Extinguiq; nequit.*

Equidem dico Apostolos lapidi huic fuisse  
per similes, vt pote qui fundamentales Ec-  
clesiæ lapides: cum enim hodie in ignem  
Spiritus sancti coniecti essent, ita succensi  
fuere, itaque eundem arripere, nunquam  
vt deinde extingui potuerint, & quicun-  
que ventus infurterit, quæcunque per-  
secutio inualuerit, semper nihilominus  
arsere, semper æstuarunt, & nunquam  
deinde frigescere potuerunt. Audite quid de  
se loquantur: *Quis nos separabit à Chari-*  
*tate CHRISTI? tribulatio an angustia?*  
Illi sunt itaque Spiritus sancti effectus: hæc  
causa ob quam in forma ignis hodie in Apo-  
stolos

C stolos



stolos descendit; sed iam etiam alias exponam.

**Apostoli** Cum campanæ maiores fundendæ sunt sunt magna que procul audiri possint, magnus exci- gna cam- tandus est ignis eapaxque fornax accenden- panæ Ec- da. Constructa iam erat Ecclesia, campanis clefiæ. opus erat, campanæ porro futuri Apostoli. Idcirco hodie omnis cæli ignis descendit in terram, & magna illa Spiritus S. fornax accenditur, ut in ea duodecim maiores id est Apostoli fundantur, qui ad summam Ecclesiæ dignitatem sublati, tantum in posterum sonum edicuri sunt, perque tam remotas ac disiunctas regiones vocem extensuri, ut per omnes mundi cardines exaudiendi sint. Quod Prophetæ verbis innixus dico, *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.*

**Ignis regis matris symbolum.**  
*Psalm. 18.*

*Lib. de. 7.*

*Iul. Obseq. c. 38.*

*Virgil.*

*Gen. 15.*

Ecce aliud. Cum spiritum sanctum in duodecim hosce viros in ignis forma delapsum video, inde certissimum elicio præfatum, Reges illos futuros, & Regibus ac Principibus terræ imperaturos, legesque præscripturos. Huc alludere aliquo modo oracula Prophetica, *Constitues eos Principes super omnem terram.* Hic autem conceptus est S. Cyrilli Hierosolymitani, *In specie, inquit, ignearum Linguarum, quando sedis super Apostolos, descendit, ut nova corona sibi rituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Conceptus hic neque augurium meum vanum est: antiquus enim symbolum regis maiestatis erat ignis; quin & Reges Persarum argento vase inclusum, ad dignitatis symbolum, sibi illum præferri volebant, uti Alexander ab Alexandro scripto prodidit. Quin etiam flammula illa, quæ nescio quo prodigio in L. Marcii perorantis capite apparuit; illius regnum & sortem regiam patefecit. Ignis quoque apud veteres, ut in Hieroglyphicis prodidit Pierius, in medio altari semper collucebat, ut hinc manifestum fieret, illum medium inter Deum & homines constitutum, utrosque inter se reconciliare. Testatus hoc quoque est Poeta:

*Tange aras mediosque ignes*

In huius rei exemplum in Genesi legimus, foedere inter Deum & Abrahamum

inito, cum animalia diuiderent, uti apud veteres moris erat, flammam per medium transiisse, inter confœderatos mediaticem agendo, *Et apparuit libanus fumans, & Lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* Ita quoque hodierna die, foedere inter Deum & homines, inter Creatorem & creaturas, inter cælum & terram inito, flamma quædam cœlestis in linguarum forma super legatos, id est duodecim Apostolos, veros Iesu Christi legatos, (nam ut ait Paulus, *Pro Christo legatione fungimur*) apparuit. Quod autem in linguarum forma apparuerit nouum quid est & inauditum, nouoque mihi conceptus suggerit.

Quicumque olim in Aristophanem Comicum commentari sunt, ut ex Homero referunt, legatis linguas olim dari solitas; asseruntque prius quam legati & præcones, ad externos mitterentur, sacrificia pro iis domi offerri consueuisse: at dum pacis conciliandæ, amicitia stabilendæ, fœderisque ferendi causa potissimum mittebantur, linguas diis immolatas. E quo infero, si animalium linguarum pacem temporalem annuntiantibus dari consueuerint, Apostolis, qui velut tubicines, & cæli terræque legati, spirituales & æternam pacem denuntiabant, multo potius linguas esse tribuendas easque igneas & diuinas; atque ideo apparuerunt illas dispersa lingua tanquam ignis, &c.

Quid vobis videtur, allegorici, an non satis superque de igne locuti sumus, aliquidne requiretis amplius? & aliud non addam quam in veteri lege præcepisse Deum, ut postquam agnus Paschalis immolatus esset & manducatus, nullæ illius reliquæ remaneret, sed igne comburerentur. *Si quid residuum fuerit igne comburetur.* Hic vero umbra huius veritatem completam cernere est. Agno enim Paschali; Iesu Christo inquam, in crucis arbore & immolato & mortuo, deinde resuscitato, & ad cælos euecto, reliquæ illius Apostoli, ut scriptura hæc completeretur, hodie igne diuino Spiritus sancti comburuntur. Atque hæc sunt, quæ ignis occasione dicta volui:

iam



iam quoniam hic iam dudum accensus fuit, ventos iam & flabra ad illum fouenda acciere oportet, quod in secundo orationis membro me facturum promiseram.

VI. Spiritus sanctus, Auditor, ignis quidam vehemens est, ventus etiam contragolus & vehemens dicendus est, atque hac forma hodie super Apostolos descendit; Factus est repente de caelo sonus tanquam aduentus spiritus vehementis. Soni hic mentio fit, vt aeterna origo & incomprehensibilis Spiritus sancti productio denotetur. Nerunt Philosophi sonum plerumque e duorum corporum collisione produci: neque enim ex vno corpore elici sonus aliquis potest, sed duo ad inuicem collidi par est, atque ex hac collisione & percussione nascitur repercussio & sonus. Ita quoque de Spiritu sancto credendum est: sonus enim ille admirabilis ex vnica persona produci non poterat, sed duas hic concurrere necesse erat, qui mutuo se amore tangentes eximium illum sonum elicerent: atque hoc modo ex Patris & Filij amore sonus ille admirabilis Spiritus sancti procreatus fuit. Atque hoc modo in Symbolo Concilij Nicani canitur: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

Sonus hic comitem habuit terribilem & vehementem turbinem; vt hinc magna & mirabilia Spiritus sancti (currus ille figura erat) effecta designarentur. Quam excellentes porro & egregios turbo hic nobis conceptus suggeret. Primo namque nouistis, Philosophi, quam difficile sit cogniti, venti vnde nascantur, & nemo nouit haecenus aut certo asserere potuit, vndenam originem traherent. Dixere nonnulli ventum aliud non esse quam aërem agitatam, alij non nisi vapores & exhalationes aestuantes, alij denique e terra & cauernis illos procreari assererent. Sed nemo rei veritatem vidit, nemo scopum terigit, nemo vera ac genuina vagantium illorum Aëli cursorum & errorum incunabula reperire potuit. Testatur hoc in Euangelio Dominus, *Spiritus ubi vult spirat; & vocem eius audis, & nescis vnde veniat aut quo vadat.* Id est, ventorum principium aut finem, generationem

aut interitum nemo nouit; Permittente Deo hoc forsitan factum est, qui hoc sibi secretum reseruauit, ac Spiritus sanctus in turbine hodie voluit forte descendere, vt hinc perpenderemus, mentemque ad altiora sustolleremus, cogitantes, si ventorum naturalium origo causaque tam ægre inuestigari potest, & humano ingenio minime comprehendi, venti illius supercaelestis, qui vltra & prater naturam quid continet, originem multo difficiliter inueniri posse.

Angelus caelo descendens nouas quasdam quaestiones Esdrae, qui populum Babylonica captiuitate eduxerat, proposuit dissoluendas: *Vade,* inquit, *pondera mibi ignis pondus, aut mensura mibi flatum venti.* Esdras hisce quaestionibus auditis percussus ait: *Quis natorum poterit facere, vt me interroget de his,* quasi diceret: *Quis mortali-um nodos hos & serupos enodabit, quis hæc ænigmata dissoluet, humani ingenij captum hoc longe excedit, neminemque in terra reperiri posse credidero, qui ad interrogata respondeat.* Cæterum quaestiones hæc perdifficiles ad Spiritus sancti magnitudinem, maiestatemque merito referri debeant, qui hodierna die in ignis & turbini forma se spectandum dedit. Quod enim hominis ingenium ignis huius pondus & miracula ponderet; ecquæ mens venti huius flatum tumoremque discutiatur: sunt quippe materiae adeo sublimes & eleuatae, omnem vt hominum captum longe excedant.

Regius Propheta Dauid de ventorum natura agens, ait nihil illis in omnipotentis thesauris reperiri posse excellentius ac diuinius, illosque e diuinis thesauris elici & procreari; *Qui producit ventos de thesauris suis.* quasi diceret, Deus simul habet diuitias & thesauros; communia & obuia inter diuitias habet, *Gloria & diuitia in domo eius,* sed excellentiora & diuiniora in thesauris delitescunt, quare, *producit ventos,* non de diuitiis, sed *de thesauris suis.* Scio hunc loquentis morem metaphoricum esse, & dum venti diuitias dicuntur e Dei thesauris produci, aliud non indicari, quam a secretissima & opulentissima



tissima Dei potentia; quæ nunquam exhaustiri potest, proficisci. Sed Propheta forsitan in Spiritu sancti, qui hodie in ventorum forma mundo apparuit, gratiam, hoc dicere noluit: ipse enim sacer & admirabilis ventus est, quem Pater & Filius de thesauris suis produciunt, ventus, inquam, qui ex intimis diuinitatis penuariis depromitur; ventus denique, qui e media Trinitate & diuinis personis spirat.

Venti meridionales pluuij.

Docent naturales Philosophi, & experientia quotidiana etiam compertum est; ventos, qui a patre meridionali spirant, pluuias vt plurimum causari. Naturale hoc secretum aliud quoddam cœleste nobis suggerit: Spiritus sanctus enim, qui ventus est e meridie sanctæ Trinitatis, vel potius e medio diuinarum personarum spirans, statu suo pluuias producere solet, lacrymas, inquam, & fletus causari. Suffragatur conceptui sacræ Scripturæ testimonium, *flabit Spiritus eius & fluent aqua*. Vix enim venti huius flabrum Psalmographus perceperat, quin statim emanare & fluere cœperint lachrymarum flumina, *Exitus aquarum deduxerunt oculos meos, quia non custodierunt legem tuam*. Hic etiam ventus fuit, qui sanctum Petrum palatio Caiphæ exegit, & ad amare flendum induxit, *Ei egressus foras fleuit amare*. Fuit hic item ventus, qui a sancta Magdalena vanitates sæculi destrabellauit, crines illius in nodum collectos sparit, oculosque illius in fontem conuertit.

Tradit item Plinius in historia naturali, ventum esse, cui nomen Fauonius, quæ Græci Zephyrum dicunt, qui e regione occidentali spirat, hic plantas elicere, & herbas, quas hyems & brumæ rigor enecatuerat; vitam viroremque reddere solet; virtus hæc & proprietates Spiritui sancto naturalis est; ipse enim verus Zephyrus & Fauonius, nam illius flabro omnia bona opera reuiuiscunt, quæ per peccati brumam emortua fuerant: addo insuper, ipse animas peccato mortuas ad vitam reuocat, atque ideo spiritus vitæ in Sacris litteris dicitur, *Spiritus est qui uiuificat*, ac deinde Apostolus, *Viuisficabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum*.

Ioan 6.  
Rom 8.

Sponsa illa formosa ad plantarum fructuumque suorum conseruationem, ventos spirare optat, sed duriores & austeriores, Austrium, inquam, & Boream, *Surge*, inquit, *Aquilo, ueni Austro, perfla hortum meum*, &c. Pia hæc Sponsa imaginem gerebat Ecclesiæ eiusque petitiones quibus ventos optat, denotant Ecclesiæ etiam preces, quæ aliud non postulat, quam vt in terra sua inque fidelium animabus uehemens ille Spiritus sancti ventus spiret, quem adeo violentum & turbulentum norat, illum vt Aquiloni & Noto cœferre non dubitabit; atque vt talis hodie cœlo descendit, *Tanquam aduentus tu spiritus uehementis*.

Ventus impetuosis & turbulentus sublimia & celsa ferire & oppugnare consuevit, humilia vero & per terram sparsa intacta sinit. Testatur hoc etiam Poëta:

*Saxius ventu agitur ingens  
Pennis, & celsa grauiora casu  
Decidunt turres, feruntq; summos  
Fulmina montes.*

Ventus reru sublimiu inmicus.

Horat. lib. 2. Odar.

Talis quoque ventus est Spiritus sanctus, vt qui superbiorum & insolentium hostis, cliens vero & amicus humilium est. Euidenter hoc e Sacris litteris erui potest, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*. Quod ipsum & variis exemplis confirmari Spiritus sanctus potest. Hic quippe ventus est, qui Luciferum summo cœlorum domicilio deiecit, & in imas tartari voragines, demersit; hic superbos ventus Iezabelem e palatii fenestra in plateas præcipitem dedit; hic ventus Pharaonem & omnem illius exercitum rubri maris fluctibus inuoluit; hoc denique vento insolens Nabuchodonosor in desertum velut fera ciectus est, & herbam bruti instar comedere coactus; hic econtra ventus humiles exaltauit, hic Danielem super omnes Chaldæorum Satrapas ac Principes euexit, Dauidem ad solium & paludamentum extulit, hic Iosephum Ægypti gubernaculis admouit, aliosque innumeros e stercore ad amplissimas dignitates fecit conscendere. O ventum penitus admirabilem! Credebant Persæ, teste Seneca, ventos deos quosdam esse, atque idcirco diuinis honores impendebant; ventis enim hominum vitam

Lib. 9. qua- stion. nat.



vitam acceptam referendam esse suspicabantur.

Inanis hæc erat gentilium opinio, & superstitiosis plenissima; at certum est, ventum, qui hodie tam vehementer spirat, verum Deum esse, atque vt Deum adorandum, per hunc enim viuit homo, & in esse suo conseruatur. *Ipsa est in quo viuumus, mouemur & sumus.* Et multo id etiam clarius per Prophetas prædictum videmus, *Dabo vobis spiritum, & uentis, & scietis, quia ego Dominus.* Ad hæc ventus hic mortuos ad vitam excitat vitamque reddit iis qui eadem exciderunt.

Quod Ezechielis Propheta factò confirmo. Ostendit huic olim Deus campum offibus, cadaueribus, putridisque membris repletum, *Et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.* Cumque ille visis tot mortuis non parum obstupesceret, ecce Deus Spiritum, qui à quatuor mundi partibus flaret, emisit; qui vbi cadauera illa perflauit, omnia membra coadunauit, pelle & nervis conueltiuit, in pedes crexit, vitamque illis amissam reddidit: *Et ingressus est in ea spiritus, & reuixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus granis nimis ualide.* Dicite, Auditores, an non genuina ac vera figura fuit rei huiusce, quam hic hodie fieri videmus, quæque quotidie etiamnum in mundo peragitur! Mundus hic an non campus erat mortuis & peccatoribus repletus! quem vbi Spiritus sanctus repleuit, Apostoli, Iudæi, Ethnici atque aduersarij, eo mortales omnes, an non vitam receperunt? si qui vero adhuc mortui, gloriosissime Spiritus, in hoc campo reperiantur, veni à quatuor partibus cœli, & insuffla, super interfectos istos, & reuiuifcant. Ab Oriente insuffla, cognoscantque homines peccatores se natos esse, ac per te in sanctos regeneratos: insuffla ab Occidente, mortisque suæ ac finis reminiscantur; insuffla à meridie, & effice vt in torrentem lacrymarum salutari pœnitentia resoluantur; insuffla denique à Septentrione, Deique furorem & iracundiam ac iustitiæ rigorem illis ob oculos proponere, ô Spiritus, ô turbo, ô mirabilia!

Psychem suam, in Asino scribit Madurensis Apuleius; habuisse excellens, splendendum & opulentum palatium, sed quod nemo nisi ventorum adminiculo adire posset. Hoc quidem fabula, sed inde elicio animæ nostræ, quam Græci *ψυχή* appellant, palatium cœlum esse, palatium, inquam, regiam & magnificentum, quod sine Spiritus sancti flabro nemini adire fas est; atque ideo Psalmographus supplicans Deo dicebat: *Spiritus tuus & Reg. 2. bonus deducet me in terram rectam.* Et quem admodum iam longo ante tempore Elias per turbinem & curru igneo in cœlum euectus fuit, ita quoque animæ non nisi per Spiritum sanctum, qui hodie in forma ignis & turbinis apparuit, ad cœlum & ad beatitudinem euehuntur.

Huc, Christiani Auditores, omnes intendere, huc spectare debemus, ad hanc beatitudinem aspirare. Quamobrem concludere volo, & finem concioni imponere. Animas igitur vestras disponite, dignos vos ad Spiritum sanctum recipiendum reddite, locum ei hodie in corde vestro concedite, conscientias expurgate, peccatum auferete, quamdiu enim intrinsecus virulenta illa pestis delituerit, Spiritus sanctus eodem diuertere non dignabitur. Suetonius in Caligula Romanorum cōsuetudinis, qua mortuorum corpora in cineres redigere solebant, mentionem faciens, tradit Germanici, qui Caligulae Pater, cum corpus ambustum esset, & in cineres redactum, cor à flammis intractum permanfisse, ignemque qui cætera membra corripuerat, ab vno hoc abstinuiffe. Quod omnes cum admirarentur, augures & medicos conuocare visum, qui sententiam super hac nouitate rogati dixere, hoc cor veneno oppletum esse, atque huiusmodi veneno cui ignis cederet, & flamma non noceret. Quamobrem theriaca vbi vnxisent, flamma inualuit, & ipsum in cineres redegit. Quod vt moraliter exponam, adeo vt lethiferum venenum esse assero, vt si eodem animæ nostræ infectæ sint, Spiritus sancti ignis easdem inuadere & ambire nequeat: quare theriaca Pœnitentiæ & lacrymarum illud pellendum est, quod quamprimum vbi ablatum fuerit: diuinus.



diuinus ignis illas succendet, atque in cineres rediget.

Quo impedimento sublato, Apostolos imitari oportet, qui priusquam Spiritum sanctum recepissent, mundo valedixerant, & egregiam illam professionem emiseraunt: *Ece nos reliquimus omnes, &c.* Mundum quin etiam, affectu saltem, & voluntate relinquere, omnesque illius lubricitates & dissolutiones deferere debemus; si eandem sperare felicitatem velimus; & Spiritum sanctum si apud nos hospitari optemus; omnia prius impedimenta amouenda, animaque euacuanda. Quod Elisæi vasa munda & vacua essent, oleo repleti meruerunt; sane si hodie oleum gratiæ in animas nostras infundi, & Spiritum sanctum omnis gratiæ auctorem eodem diuertere velimus: animarum nostrarum vasa ab omni passione, prauo affectu & vanitatibus purgemus oportet, ac vacua reddamus. Hoc igitur proponite, ac ambitionis & honorum litim deponite, has à mente phantasias dispellite, prauas hæc affectiones, quæ nos torquent, procul à corde eliminate, à voluntate malas inclinationes tollite, deniq; ab animo omnia peccata & vitia proscribite, & omnia euacuate, omnia noua sint, & Apostolis similia.

Tu vero gloriose Spiritus sancte, Patris & Filij amor, donum Dei altissimi, fons aquarum viuentium, hominum consolator, rerum spiritualium thesauri, magne scientiarum magister; tu qui hodie tam vehementer spiras, quam ardentem inflammas, atque omnia linguarum idiomata infundis. Tu qui è Theritis Cæsares, è balbutientibus Demosthenes, ex idiotis Philosophos, è discipulis magistros reddere soles, sensus nostros illumina, amorem cordibus infunde, animum confirma, & vires adauge, procul à mœnibus nostris sanctissime Spiritus, inimicum propelle, pacem terminis nostris cede, dux denique in omnibus vitæ huius periculis esto. Fac, obsecro, vt hodie animæ nostræ igne tuo suauissimo accendantur, linguæ vt mutantur & Apostolorum instar linguis loquamur nouis. Fac vt veritatem mendacia, in benedictiones blasphemiarum, in

laudes conuicia, in honesta inhonesta verba conuertantur; atque hoc linguis nouis loqui esse credam: ita porro loqui, & eodem etiam modo vitam instituire, vera ad cælum semita est, in quo Pater & Filius, tuque qui sanctus Spiritus, in æterno regnatis. Amen.

## FERIA SECUNDA PENTECOSTES.

### Partitio.

- I. De amore vi ac robore.
- II. De amore Dei in nos, vt causa rerum prima.
- III. De amoris diuini excessu in nos.
- IV. De amore Dei nos querentis.
- V. De S. Spiritus dono, ex Christi merito.
- VI. Quo sine datus sit Spiritus sanctus.

*Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3.

### FIGURA.

MAGNUM & euidentem dilectionis Creatoris erga creaturam argumentum fuit, cum magnus ille Deus sancto viro Tobias Tob. 12. è summo cælorum, vnus è septem Spiritibus, qui assidue diuinæ maiestati adsunt, destinauit, qui cæcitati illius mederetur. At maius profecto & euidentius amoris indicium eiusdem Dei erga mundum fuit, cum proprium ille dedit Filium, qui pro illius redemptione mortem oppeteret, morti & passioni illius consentiendo, homines vt interitu eriperet, vitamque illis immortalem compararet. Tobias Angelum in medicum habuit, sed mundus proprium & vnigenitum Dei Filium in Redemptorem assertoremque nactus est. O dilectionem penitus admirabilem! amorem omnem qui amorem transcendit, quique hodie per vniuersum nostrum Euangelium conspicitur: quo vt & iam animos repleamus, Spiritum Sanctum rogemus, qui veri amoris Deus est, vt hodie aurium nostrarum sonum ac verborum meorum statum ita dirigat, illius vt magnitudinem & dignitatem extollere valeamus: quare more foli-



de his omnibus loquamur, aduentum tuum annūciemus, diuinitatem defendamus, maiestatem exaltemus, effectus tuos depromamus, omniaque tua mirabilia decantemus, ignem tuum in animam immitte, pulmonibus ventum suggere, latera offirma, & linguam dirige. Tuque sanctissima virgo, hanc nobis precibus tuis gratiam impetra, ideoque cum vniuerso hoc auditorum numero Angelicam tibi salutationem offeram.

## A V E M A R I A.

I. Aristoteles Stagyrates, cui Philosophorū In *Metaph.* confero paucos, antepono neminem, de Dei maiestate ac magnitudine, rebusque supernaturalibus agens in *Metaphysica* scripsit, tantum hic splendorem ac dignitatem esse, adeoque incomprehensibilem, vt ad illas aspiciendas concipiendasque, humana mens & ingenium conuincant & succumbant, non secus ac vespertilionum & noctuarum oculi ad lumen solare: nam quoniam hæc aues visus sunt debilioris, ideo de nocte volitare, & lunam obseruare solent, nam de die solares radios ferre nequeunt. Quod ille olim apud Ethnicos Philosophos dixit, inter Christianos hoc Theologus repetiit Paulus, dum diceret, cœlestium ac præsertim diuinarum cognitionem, esse nobis incomprehensibilem, & imperuiam; *Lucem*, inquit, *habitat inaccessibilem*. Perinde ac si diceret, Diuinitas sol quidam adeo splendens & rutilans est, & humana mens ram imbecilla, vt si naturales eius vires attendamus, nec firmiter diuinitatem valeat contemplari, nec quod in intima illius essentia delitescit, cognoscere. Cuius rei hæc figura sit.

*Exod. 25.* Moyses olim Dei iussu Propitiatorium construxit, idque de ligno Setim, quod corruptionem nescit, in quo geminos Cherubinos, aduersus se muruo vultibus aspicientes collocauit; qui quo alas explicarent & extenderent amplius, quo etiam oraculum obumbrarent magis: *Duos quoque Cherubin aures, & productiles facies ex utraque parte oraculi.*

Diuinitas verum quoddam propitiatorium est, atque incorruptibile hoc lignum æ-

ternitatis indicium, duo vero Cherubin mētes tum humanas tum angelicas denotant, quæ quo cognitionis suæ alas ad sciendum quid Deus sit, extendere latius conatur, quo illius inuolutoria & obscuriora hæc mytheria videntur.

Occasione horum Cherubin & hoc cogor dicere, quod in *i. Ezech. cap.* scriptum legimus, quatuor illos Cherubinos maiores in prodigiosorum animalium figuram efformatos, rotis infertos, & duplici alarum remigio volantes, dum super firmamentum, & coram throno illius qui hominis similitudinem habebat, vocem audirent, perculsos substituisse, & alas contraxisse: *Nam cum vox fieret super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.* Cherubinorum hic gestus denotare nobis volebat, tum, cum audiret ea quæ in cœlo aguntur, deque diuinitatis magnitudine agere, aut in SS. Trinitatis personas, quæ tres non nisi vnum Deum in throno gloriæ confidentem constituunt, inquirere præsumimus; sensus nostros esse contemendo, rationi imperandum, præsumptionem euendam, imaginationum alas submitendas, ingenueque profitendum, omnia hæc intellectum & captum nostrum excedere, itaque hic nos non nisi bruta esse & iumenta. Ita enim locutus est Psalmographus: hic namque diuina indagare mysteria, atque æternæ prouidentia nucleum enucleare cum molitur, libere coram Deo profiteretur, in horum mysteriorum indagatione adeo se brutum & obtusum esse, se vniuersum crederet. *Audite virum, Ad nihilum redactus sum, & nescius, vt iumentum factus sum apud te.* S. Hieronymus ex Hebræo loco illud, *ad nihilum redactus sum*, transtulit, *Et ego insipiens.* & sane in origine Hebraica non nisi vnicum verbum trisyllabum est, *Babbar* loco horum trium, *ad nihilum redactus sum*. Porro *Babbar* tantundem valet, ac si dicas, bardus, vecors, mente & iudicio carēs. ac brutum, quasi Dauid, coram Deo se ineptum, mente & scientia destitutum præ humilitate profites, dicere voluisset, in mysteriorum tuorum, & coram quæ sub essentia tuæ inuolueris delitescunt, contemplatione, ad nihilum scientiæ & cognitio-

Ezech. 1.

Cognitio rerum diuinarum ingenium nostrum superat.

Psal. 71.